

No. 932. 1431. 9. Jan.

*P. Eugen IV. beauftragt die Bischöfe von Naumburg, Merseburg und Brandenburg Erörterungen über die Nützlichkeit des Verkaufs des zur bischöflichen Tafel gehörenden Schlosses Nossen an das Kloster Altzelle anzustellen und denselben, wenn er sich zweckmässig erweisen sollte, zu genehmigen.*

Eugenius episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus . . Nuenburgensi et . . Merseburgensi ac . . Brandenburgensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Pro singulorum fidelium praesertim ecclesiasticarum et cathedralibus ecclesiis praesidentium ac regularium personarum statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis iniuncti pastoralis tenemur officii, solícite considerationis convertentes intuitum ad ea, per quae illarum occurritur dispendiis profectuique consulitur, adhibemus libenter vigilantiae nostrae partes. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Johannis episcopi ac dilectorum filiorum capituli Misnensis nec non . . abbatis et conventus monasterii Cellae sanctae Mariae Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod plura castra et alia immobilia bona ad mensam episcopalem Misnensem spectantia, etiam antequam dictus episcopus ecclesiae Misnensi praeficeretur, pro diversis pecuniarum quantitibus impignerata obligataque fuerunt et habentur ad praesens, quoad eorum aliqua, quod nisi certo tempore redempta fuerint, ea penitus ipsa mensa perdat, pactis et conditionibus adiectis; in nonnullis quoque dictae mensae possessionibus et bonis aedificia ruinae subiacent, et episcopus ipse plurimorum tam ante praefectionem huiusmodi quam etiam postea, pro eo potissime, quod per armigeras quibus habuit providere gentes haereticis Bohemiae, ne praefatae mensae castra et bona surriperent, pro viribus restitit, contractorum gravatus est oneribus debitorum. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat episcopus et capitulum praedicti considerantes attentius, quod nisi aliqua dictae mensae bona vendantur, ipsi episcopo, quod obligata castra et bona redimere, aedificia reparari facere necnon debita huiusmodi persolvere valeat, nullatenus assint facultates, quodque dicti abbas et conventus eidem episcopo pro redemptione unius praefatorum cum dictis pactis et conditionibus impigneratorum castrorum summam duorum milium florenorum Renensium liberaliter mutuarant et castrum dictum Nossin prope praefatum monasterium consistens et etiam ad ipsam mensam legitime pertinens ac cuius cum suis iuribus et pertinentiis fructus redditus et proventus ultra centum florenos auri de camera secundum communem extimationem non valent annuatim, et pro cuius custodia ultra huiusmodi valorem exponere frequenter opus fuit, ipsis abbati et conventui pro suis etiam adversus haereticos praedictos conservandis personis et rebus accommodum multipliciter existeret, super illo dictis abbati et conventui vendendo diversos tractatus habuerunt, et pro eo dicti abbas et conventus ad opus mensae praedictae quatuor milium et ducentorum similium florenorum Renensium vel aliud competens pretium dare et assignare sint parati, dummodo ad id apostolicae sedis accedat assensus, pro parte episcopi, capituli necnon abbatis et conventus praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis hinc inde ac ipsis mensae et monasterio super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque qui de